



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniae Agrippinae, 1653**

Sermo I. Amator veræ Sapientiæ, & Virtutis Christianæ studiosus, sit oportet Architectus. Ædificate alterutrum, sicut & facitis. Ad Thessalonicens. V. II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



OPVSCVLVM I.  
ARCHITECTVS  
CHRISTIANVS

*Sacer. Spiritualis. Mysticus.  
Tropologicus.*

---

S E R M O I.

Amator veræ Sapientiæ & Virtutis Christianæ  
studiosus sit oportet

ARCHITECTVS.

*Ædificate alterutrum, sicut & facitis.  
Ad Theſſal. v. ii.*

---

ARTICVLVS I.

TITVLVS ARCHITECTI

*Qui conuenit omnibus Christianis, ſed ſignatè Concionatoribus,  
ſancitur formulis loquutionum ſacrarum Chriſti  
& Apoſtolorum.*

Academici Chriſtiani.



MATOR veræ ſapientiæ, & virtutis Chri-  
ſtianæ ſtudiosus ac cultor, ad quem ſer-  
mones noſtri diriguntur in hac Adole-  
ſcentum Virorumque Academicorum ex-  
cedrâ, cùm minimè contentus aridâ qua-  
dam,

ARCHITECTVS CHRISTIANVS. 7

dam, steriliq̄ue rerum variarum cognitione, fructuo-  
sâ aliâ, & in opus prodeunte scientiâ excellere debeat:  
in hac autem principem facilè locum habeat **ÆDIFI-  
CATORIA**, seu **ARCHITECTVRA**; hanc, sed vulgari il-  
lâ multo nobiliorem, nec generis humani Domino in-  
dignam debet imprimis excolere. **ARCHITECTVS**  
itaque sit oportet, sed **CHRISTIANVS** ille **ACADEMI-  
CVS**, quem, & *Grammaticum & Philosophum, & Medi-  
cum, & Iurisconsultum, & Militem, & vniuersè, Artificem*  
Christianum, non nominari solùm, sed etiam esse de-  
bere, diuersis dissertationibus, & libris, demonstraui-  
mus. Quàm verè autem Titulus iste Sapientiæ Amatori  
conueniat, illæ imprimis ostendunt loquutionum  
formulæ, quibus veræ Sapientiæ Magister suos Audi-  
tores, & Discipulos structori comparare, vel ipso-  
rum moitiones, actionesq̄ue ad Architectonicæ nor-  
mam consuevit exigere: quales passim in Diuino volu-  
mine occurrunt.

**CHRISTVS** imprimis Auditorem, factoremq̄ue  
verborum suorum, dicit similem Viro Sipienti, qui  
ædificauit domum suam supra petram: audientem au-  
tem, & non operantem stulto ædificanti super arenam.  
Matth. vii. 24. & Luc. vi. 48. Itaque vtrumq; insinuat ef-  
se Architectum: illumbonum, hunc malū. Alio tempore  
& loco, ad perfectionem virtutum Evangelicam, eiusq;,  
apicem præproperè temereq̄ue contendentem, abs-  
que maturâ deliberatione, ac præparatione debita,  
confert cum homine volente turrin ædificare, nec  
prius impendiorum, sumptuumq̄ue rationes ineunte:  
cui deinde dicatur: *Hic homo capit ædificare, & non potest  
consummare* Lucæ xiv. 30. Cùm de profectu in fide ac  
virtutum studio differeret Lucas Historicus in Actibus  
Apostolicis, compendio multa includens, cap. ix. aie-  
bat: *Ecclesia per totam Iudæam & Galileam & Samariam ha-*

bebat pacem, & *ÆDIFICABATUR*, ambulans in timore Domini, & consolatione Sancti Spiritus replebatur. Vbi *Ædificandi* verbum, Græcè, *ὁμοδομῆσαι*, architectonicum, significat, tum spirituale quoddam incrementum, ex mutuâ doctrina atque exemplis, tanquam lapidibus, tum propagationem externam: quomodo Ecclesia rectè tunc dici potuit ædificari. Istiusmodi *Ædificandi* metaphora sunt frequentes apud Paulum Apostolum, qui ijs delectatus videtur: & sumit illas, tum in bonam, tum in malam partem, sicut *Ædificatores* sunt boni & mali, *Architecti* Sapientes & insipientes, *structores* periti & imperiti.

Epistola I. ad Corinthios cap. VIII. I. *Scientia*, inquit Apostolus, *inflatur*, *Caritas* verò *ædificat*. Quod quidem commodè referri potest ad illos, in quibus est *Caritas*, tanquam *Arts* architectonica in Artifice. Est autem in eo antithesis, quod *scientia*, quatenus *Caritate* destituitur, tumorem pariat, hominum vitio, qui *Sapientia* abutuntur sua, vt *scientiam* suam æstimant: *Caritas* verò vitam adferat, vt loquitur Irenæus, lib. II. c. 45. & solidum quidpiam ac stabile largiatur, dum nimirum *Ædificium* spirituale extruit. Igitur qui *Caritatem* habet, est *Architectus* spiritualis. Præterea, referri potest idem ad proximos, quos *Caritas* erudit, & Christianis præceptis informat, quodque inde consequitur, ad religionis ac pieratis studium inflammat: quod est *Ædificare*; cum ex sola *scientia* oriatur tumor, aliorumque, & maxime, paruulorum, & rudium contemptus, quod illorum salus vel negligitur, vel, quod est multo deterius, contemnitur, vt monet Pauli Interpretes egregius Benedictus Iustinianus. Eâdem in Epistolâ & capite, Apostolus ita scribit: *Si quis viderit eum, qui habet scientiam in idolo recumbentem, nonne conscientia eius, cum sit infirma, Ædificabitur ad manducandum idolothyta*: Vbi vocabu-

ARCHITECTVS CHRISTIANVS. 9

cabulum architectonicum, *Ædificabitur*, *διχοδομηθήσεται*,  
 necessariò in malam partem accipitur, cùm significet,  
 ad scelus provocari istud cernentem, & quodam-  
 modo falsa opinione imbui, quod fas sit Christianis  
 liberè vesci ijs, quæ falsis Dijs immolantur.

ARTICVLVS II.

ARCHITECTVS

*Propheta, Ecclesiastes, Catechista, Linguis loquens,  
 Doctor fidelium.*

**Q**VI prophetat, inquit Paulus Apostolus, I. Corinth.  
XIV. 4. hominibus loquitur ad *ÆDIFICATIONEM*, id  
 est, quæ auditores promoueat in cognitione & studio  
 pietatis: & *exhortationem, & consolationem. Qui loquitur*  
*linguâ, semetipsum* *ÆDIFICAT*; hoc est, sibi prodest. *Qui*  
*autem prophetat, Ecclesiam DEI* *ÆDIFICAT*, id est, fi-  
 delium multitudini singularem eximiamque; adfert  
 vtilitatem. *Volo autem omnes vos loqui linguis, magis autem*  
*prophetare. Nam maior est, qui prophetat, quàm qui loquitur*  
*linguis, nisi fortè interpretetur, vt Ecclesia* *Ædificationem*  
*accipiat, id est, inde capiat emolumentum in fide, & mo-*  
*rum honestate, seu disciplinâ religionis Christianæ.*  
 Hisce verbis varios designat Paulus Apostolus Archi-  
 tectos Christianos. Et primus inter eos nominatur, qui  
 prophetat: is enim hominibus loquitur ad *ædificationem*.  
 Non intelligitur autem *Prophetæ* nomine is, qui futura  
 prædicit, vel abdita, occultaque patefacit, vt commu-  
 niter accipi solet istud vocabulum; sed qui docet, ac  
 Diuina mysteria explicat; qualis est *Doctor Theologiae*  
 in cathedrâ, *Ecclesiastes* in suggestu, *Catechista* in a-  
 gro, vel foro. Hi enim, ex obseruatione Diuorum Am-  
 brosij & Anselmi, *Apostoli mentem explicantium,*

analogiam retinent Prophetarum. Siquidem vt Propheta, futura, quæ ignorantur, prædicit: ita Magister mysteriorum Euangelicorum, quæ auditoribus suis ignota erant, in lucem profert, vt dicere possit illud Ecclesiastici cap. xxiv. 46. *Doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam querentibus Sapientiam.* Illorum autem quilibet loquitur hominibus ad ædificationem; siue, vt est in Græco, *καλῆς οἰκοδομῆς*, loquitur ædificationem. Deus bone! quàm est ille peritus & sapiens Architectus, qui quidquid loquitur, est **ÆDIFICATIO**? Nimirum, nihil loquitur, quod non spectet conducaturque ad ædificationem, id est, doctrinam sacram, & morum informationem. Et quoniam Doctoris Christiani doctrina ad praxim & mores in concionibus & catecheticis instructionibus referenda est, adiungit *Adhortationem*, & denique *Consolationem*. Siquidem Adhortatio animum addit ad arduam virtutis viam capeffendam: Consolatio spem inijcit, & animos, vt loquitur S. Ambrosius, firmat, ac prouocat, ad expectanda meliora.

Hæc si faciat Euangelicus Doctor, omnes Architecti Christiani partes egregiè explebit. Nam & docebit, quæ ad bene beateque viuendum valent: quod est fidei fundamentum ponere, & præceptis moralibus, tanquam lapidibus, parietes erigere: tum verò accommodata adhortatione, suauique consolatione, ne auditores rerum difficultate perterriti, diffidant, & proficiendi animum abijciant, tectum imponet.

ALTER, quem Architecti titulo decorat Apostolus, est *Qui linguâ loquitur*: ille scilicet, qui dono linguarum præditus cum sit, ita peregrinâ linguâ loquitur, vt intelligat ipse quæ dicit, alijs tamen interpretari aut exponere non possit: is enim sibi quodammodo Architectus est: nam seipsum ædificat: loquitur enim ea, quæ ad Dei

glo-

gloriam, & propriam vtilitatem pertinent. Hoc antea quoque dixerat Apostolus: *Qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, sed DEO.* Siquidem ita cum DEO sermonem habet, ut & illum laudet, & ipse inde proficiat in doctrinâ & virtute; melior euadens & doctior. Et inferiùs linguarum dono vtentem alloquens, dicit: *Tu quidem benè gratias agis sed alter non ÆDIFICATVR:* hoc est, ignarus idiomatis peregrini, non percipit vtilitatem.

At verò, Propheta, cuius munus superiùs indicauimus, qui prophetat, siue Scripturam sacram interpretando & explicando, siue rudes instruendo, siue quoslibet exhortando, monendo, consolando, ÆDIFICAT ECCLESIAM, nempe, vniuersum populum, qui probè intelligit, quæ Ecclesiastes loquitur. Ob quam causam hoc prophetandi officium Apostolus ceteris anteponebat.

Sed bene monet, Apostoli sensum penetrans, eius interpres Benedictus Iustinianus, non esse aut sui, aut proximorum Architectos, diuini Verbi præcones illos, qui abstrusa quædam coram mulierculis, & imperita multitudine detonare solent, qui ne ipsi quidem, qui loquuntur, satis intelligunt, tantum abest, vt commodè, & ad tenuiorum captum accommodatè explicare queant, cum tamen, omnis eorum oratio ad Ecclesiæ ÆDIFICATIONEM referenda esset.

ADDIT autem Apostolus: *Si quis linguâ loquitur, interpretetur suum sermonem:* nimirum, vt sic totius Ecclesiæ fiat Architectus: nam ita Ecclesia Ædificationem accipiet. Contra quàm faciunt, inquit laudatus antea Auctor, qui in popularibus, multa Latinè, nonnulla etiâ Græce, & si DEO placet, etiam Hebraicè, atque Syriacè, absque interpretatione (nam nec ipsi intelligunt) inculcant: quæ nihil habent præter inanem ostentationem. Sapienter

S. Am-

S. Ambrosius in 1. ad Corin, 14. *Si vti que ad Ædificandam Ecclesiam convenitis, ea debent dici, quæ intelligant audientes. Nam quid prodest, vt quis linguâ loquatur, quàm solus scit, & qui audit nihil proficiat. Ideo tacere debet in Ecclesia, vt ij loquantur, qui profunt audientibus.* Præclarè S. Augustinus libro de bono perseuerantiæ cap, 16. scribit, facile esse, immò & vtile vt taceatur aliquando verum aliquod propter incapaces. Ita est, & prævit exemplo Dominus, qui testatus legitur Joannis xvi. *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Sequutus est Apostolus scribens Corinthis 1. Corinth. III. 1. *Non potui vobis loqui quasi Spiritualibus, sed quasi carnalibus: quasi parvulis in Christo lac vobis potum dedi: nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis.* Subdit Augustinus, quod notet Concionator, si velit officio fungi Architecti: Causas verum tacendi multas esse, non postremam autem istam: ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt facere doctiores; qui nobis aliquid tacentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec peiores fiunt. Nam peiores faciendo semper destruimus: doctiores faciendo non semper ædificamus. Est autem Architecti Christiani in concionibus semper spectare Ædificationem.

## ARTICVLVS III.

## ARCHITECTVS

*Deus, Apostolus, Vir Apostolicus.*

**D**EI sumus, inquit Doctor Gentium, *Adiutores. DEI Ædificatio estis* 1. Corin. 3.9. Quibus verbis innuit, **DEVM** esse Architectum primarium, cui operas locent aliqui, vt minus primarij, Architecti tamen & ipsi: nempe Apostoli, & verbi Diuini Ministri alij Viri A-  
postol-



postolici, quos appellat in Architectonicâ Ad-  
iutores DEI, Græcè est, *συνεργός*, cooperato-  
res. Vnde sibi, suiq̄ne similibus *Architecti* titu-  
lum competere gloriatur Apostolus dum sub-  
iungit: *Secundum gratiam DEI, quæ data est mihi, vt SA-  
PIENS ARCHITECTVS fundamentum posui: alius autem  
SUPERÆDIFICAT. Quæ significant Apostolos, & qui  
Apostolorum munere funguntur, esse in Ecclesiâ Chri-  
sti, sicut in Republicâ sunt Architecti, ad ædificandum  
arte instructi, & ad id destinati. Inter quos Paulus no-  
men profitetur suum. Quippe, qui vt alibi loquitur,  
acceperit à DEO Principe Architecto potestatem in ÆDI-  
FICATIONEM, & non in destructionem: 2. Corinth. XIII, IO  
id est, vt proficit, Ecclesiam, seu fideles ædificando, non  
vt obstat, lædendo. Ex quo deducit S. Chrysostomus,  
zelosissimus Antistes, illos, qui præsumunt in Ecclesiâ, E-  
piscopos, Curiones, Rectores animarum, & quoslibet  
alios eorum habentes, potestatem accepisse ad  
Ædificationem; cui, si quis, ex fidei suæ commissis ob-  
stat, ac reluctetur, qui alia ratione curari non possit, tum  
demum assumendum esse pedum pastorale, ac seuerè  
agendum, mulctandumq̄ne istiusmodi refractarium.  
At, hoc est, obesse, lædendo: nequaquam. Siquidem  
hoc ipsum, vt monet Chrysostomus, est *Ædificare*: ni-  
mirum, quod Architectura præscribit: impedimenta de  
medio tollere, vt ædificium exurgat felicius & cele-  
rius.*

ITAQUE Ecclesiæ Præsides, eorumq̄ne adiutores  
industrij, sensu Pauli Apostoli, sunt *Architecti Christiani*.  
Quod sibi persuadebat in Architectura profana æquè  
ac sacrâ nobilis Joannes Baptista Villalpandus, qui in E-  
pistola dedicatòria, quâ Philippo Regi Catholico Tem-  
pli Ierosolomitani structuram à se commentationibus  
sacris illustratam, vastum opus consecrat, ita Principem  
allo-

» alloquitur. T v ad remotissimas illas, barbarasque  
 » gentes quot annis, tum alios multos, genere, do-  
 » ctrinâ pietate præstantes, tum è nostrâ Societate tui  
 » studiosissima, complures mittendos, tanquam Fa-  
 » bros & ARCHITECTOS, curas, qui sinceræ fidei,  
 » ac Religionis Catholicæ, siue fundamenta iaciant,  
 » siue opus iam inchoatum ab alijs, DEI ope freti, pro-  
 » moueant, atque perficiant. Quapropter eo etiam  
 » magis videri debes Salomoni præstare, quo maior  
 » est huius posterioris DEI Domus gloria, quàm prio-  
 » ris fuit

## ARTICVLVS IV.

## ARCHITECTVS

*Quilibet homo Christianus.*

**H**OC Pauli Apostoli, vel est votum, vel pronuncia-  
 tum. Is enim, quod alio fine dixit Corinthijs: *Vo-  
 lo omnes vos esse, sicut me ipsum* (1. ad Corinth. vii. 7.) insi-  
 nuat se optare in re architectonicâ ad Ædificationem.  
 Nam scribens iisdem adfirmabat, omnia se facere *pro-  
 pter Ædificationem ipsorum*. 2. ad. Corinth. xii. 19. Quod  
 quidem S. Ambrosius refert ad Pauli institutum illud,  
 quo nihil ab auditoribus accipere decreuerat; vt vel sic,  
 ait, amorem illorum circa se promoueret. non gravan-  
 do eos, quod fieri solet, necessariorum postulatione: &  
 non diminuendo auctoritatem potestatis in arguendo,  
 quod facile fit, accipiendo quidpiam ab ijs, quos neces-  
 se est arguere. Et idem videtur significare, Apostoli  
 sensum excutiens S. Chrysostomus: qui illud etiam ob-  
 seruat, voluisse illum mitigare sententiæ suæ seuerita-  
 tem: nam dixerat, se nihil accipere propter ipsorum  
 imbecillitatem: quod quodammodo emendat, dicens;

vt *Ædificemini*. Nihilominus magis vniversaliter accipi potest Apostoli adfirmatio illa de *Ædificatione*, vt non solùm peculiarem illam actionem denotet, sed totius vitæ tenorem comprehendat, hoc sensu: quicquid dico, ago, molior, facio ad *Ædificationem*, id est, vestrum profectum perfectionem, vtilitatē spiritualem. Hortatur autem vt idem omnes faciant, id est, sint *Architecti*, quemadmodū ipse erat, Sapientes, I. Cor. 14. 26. *Vnusquisque*, inquit, *vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet linguam habet: interpretationem habet: Omnia ad ÆDIFICATIONEM fiant*. Quali dicat, quocumque munere fungamini, ostendite vos esse peritos *Ædificatores*, & omnia ad Ecclesiæ emolumentum referte; vt in ea mali conuertantur, imperiti proficiant, boni meliores fiant, quod est omnes *Ædificare*, & ex ijs tanquam viuis lapidibus Ecclesiam. Ita quoque Petrus Apostolus, postquam dixisset, Epist. 1. cap. 2. 5. *Christum esse Lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à DEO autem electum & honorificatum*, subdit, *& ipsi, tanquam lapides viui, Superædificamini Domus spiritualis*.

Huc spectant illa, quæ omnibus dicta sunt: *Consolamini invicem, & ÆDIFICATE ALTERVTRVM, sicut & facitis*. Quod scribit Paulus Thessalonicensibus Epist. 1. 5. quos commendat simulque hortatur, vt singuli singulos excitent, & ad optima quæque promoueant: ad orationis instantiam, ad Sacramentorum frequentationem, ad castimoniam, sine quâ nemo videbit DEVM, ad sobrietatem, ad demissionem Christianam, ad rerum humanarum despicientiam, amoremque diuinorum & cælestium, ad mandatorum DEI observationem, Consiliorum Christi susceptionem, virtutum omnium exercitationem: ad honorem exhibendum superioribus, humanitatem proximis, affabilitatem Sodalibus. Hoc est *Ædificare*: quod non solùm doctrinam

nam

nam, sed exemplum etiam & omnem modum, quo ad virtutis cultum, & ad maiora quis promovetur, comprehendit. Eâdem phrasi vtitur Apostolus, dum monet Romanos ad mutuam concordiam conservandam prodesse animorum consociationem, suadetque *in odium*, *Ædificationem. Quæ pacis (inquit) sunt, sectemur, & quæ Ædificationis sunt in inuicem custodiamus* Roman. xiv. 19. id est, quibus proficiamus, & vltro citroque ad virtutis studium promoveamur. Et alibi scribens ad eosdem: *Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad Ædificationem.* Rom. xv. 2. Quomodo ad ædificationem? nempe, verbo & exemplo adferens spiritualem aliquam vtilitatem. Non placeat vt laqueum sibi illi que tendat in interitum: non placeat, vt occasionem peccandi illi offerat: non placeat in destructionem, vt sit scandalo, vt in malo confirmet, vt perdat, quem lucrari oportuit, sed in bonum, ad Ædificationem. Simpliciter placere hominibus Christianus nemo debet, cum sit scriptum. *Qui hominibus placent, confusi sunt quoniam DEVS spreuit eos,* Psal. lxx. 6. placere autem oportet in bonum, ad Ædificationem. Quo insinuatur etiam, proximo non quæcunque bona quomodocunque optanda esse, sed quæ valeant ad gratiam & gloriam consequendam: hoc est, ad Ædificationem. Ad quod non est satis, vt obseruat ibi Theophylactus, proximo placere in bonum quomodocunque, sed oportet, vt apta congruentique ratione, opportuno item tempore, studeamus illi prodesse, & nullo modo obesse in rebus ad æternam salutem spectantibus.

QUONIAM autem Architecti Christiani est, ita ad opus suum, quod est Ædificare, attentum esse, vt ab ijs abstineat, quæ impedimento esse possunt; hinc quicquid ad Ædificationem non spectat, illi omittendum est, quale quale tandem illud sit. Hoc erat Pauli decretum

cretum ac dogma, quod exemplo omnibus persuadere conabatur, sæpe illud habens in ore, cum abstineret ab alio: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*, i. ad Corinth. vi. *Omnia mihi licent, sed non omnia Aedificant*. i. ad Corinth. x. Quibus ut notavit S. Chrysoſtomus, monebat spectandum eſſe, utrum ea, quæ alioqui licent, expediant, & *Aedificent*: expediant ipſi, qui agit: *Aedificent* proximos. Quæ nimirum ipſe ſpectabat ſemper, verbo & exemplo docens, à licitis interdum abſtinendum eſſe, ut ſaluti proximorum, & *Aedificationi* conſulatur. Sunt enim non pauca, quæ ſi per ſe ſpectentur, ut à ſingularibus conditionibus avulla, nihil habent, unde reprehendi poſſint, adiuncta tamen conditione illa, Quod non *aedificent*, ne licite quidem poſſunt fieri. Præclarum pro Architectis Chriſtianiſ documentum, & ad actionem revocandum. Quod ſi fieret ab omnibus ſemper, nulla orirentur in populo Chriſtiano ſcandala. Licet tibi interdum hilarius agere, facere quidpiam in aliorum conſortio proferre, lepores graubus dictis immiſcere: licet poſt morbum, genio paullulum indulgere: licet ob valetudinem conſervandam lautius & ſumptuoſius victitare. Sed animadvertis, exemplo te tuo, multis exorbitandi occaſionem daturum. Si Paulum, ſapientem Architectum imitari volueris, abſtinebis, & dices: *Omnia mihi licent, ſed non omnia Aedificant*. Cùm te heri ego vidi, clara luce, ſpectantibus ſocijs, per plateam illam volitantem, quam omnes ſciunt non niſi à laſciuentibus obſideri: cùm haud ita pridem, in frequentiſſima urbis regione, longos cum extranea ſerimones miſcere, & cachinnari conſpicerem, & mecum admirabundi plures alij, non abſque ſcandalo à te dato, ſi Architectonicam Chriſtianiſ didiciſſes, veniſſet tibi in mentem Magiſtri eſſatum: *Omnia mihi licent, ſed non omnia Aedificant*. Verè non *Aedificant*, Adoleſcen-

Prima pars


B

leſcen-

lescentes mei, longæ cum mulieribus in proparulo sermocinationes, ritus, mimicæ gesticulationes. Non ædificant curiosi in templo oculorum iactus, corporum in subiecta scamna mollis, & desidiosa nimis prostratio, unius poplitis in terram inclinatio: multo minus, fabulæ, immodestia, circumcursatio. Non ædificant, ab Amatore Sapientiæ, & virtutis studio, vt haberi vis, prolata verba scurrilia, vana, ociosa: multo minus, inhonestæ, prætextatæ, fescenninæ, fædæ, Christianis auribus indigna. Quæso vos, ad Architectonicum illum Canonem actiones alioqui non malas exigite: *Omnia mihi licent, sed non omnia Ædificant*: & quæcunque agitis, ad Ædificationem à vobis fiant: vt loquitur Paulus Apostolus.

QVI acceperat hanc metaphoram à Petro, alijsque Apostolis, & hi à Magistro suo Christo, qui primus illam vsurpauit, dum apud Matthæum dixit: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* (Matth. xvi. 18.) Hinc factum, vt voces, *Ædificandi*, & *Ædificationis*, usu Ecclesiastico significant spirituale quoddam incrementum, ex doctrina, exemplo, mutuisque adhortationibus. Sic sæpe occurrit apud spiritualium rerum Scriptores: *Verbum Ædificationis*: dare bonam ædificationem, esse hominem Ædificationis vel *Ædificativum*, quæ significant virtute præditum, cultorem perfectionis disciplinæ Christianæ, denique *Architectum*, divinæ cuiusdam fabricæ, quæ doctrina sana bonisque exemplis construitur. Quare horum æquè ac illius habita est semper magna ratio à Viris Religiosis, qui maximè profitentur *Ædificationem Spiritualem*. Et quidem S. Ignatius, nostræ fundator Domûs, vt narrat Nicolaus Orlandinus in historia Societatis, *lib. xvi. n. 121.* idcirco, non modò voluit à suis seruari diligenter certa modestiæ exterioris præcepta

cepta, sed etiam in suscipiendis diuini seruitii caussis  
 circumsp̄ctionem requirebat maximam, quod hoc  
 exigat *Ædificatio proximi*. Dicebat idem, in Societate  
 hominum genera duo esse: vnum eorum, qui extrue-  
 rent solùm, alterum eorum, qui inter extruendum simul  
 destruerent. Primum sibi genus probari: & hoc esse,  
 qui studio atque Zelo vruntur considerato, prouiden-  
 tes, ne quam damni caussam non modo re, sed ne spe-  
 cie quidem dent, ne-ve ij offendantur, qui si aduersarii  
 fiant, possunt nostrum in diuino obsequio, & salutis  
 publicæ studio impedire cursum. Atque adedò quæ-  
 dam, quæ rectè alioqui fierent, omittenda censebat,  
 non damni privati formidine, sed operum respectu  
 potiorū: quia sepe numero dum parum cautè aliquid ar-  
 tētatur, nec illud efficitur, & mox multis aliis offjicitur.  
 Ex quibus facile constat, Sapientiæ Christianæ Amato-  
 rem, debere esse peritum cælestis cuiusdam ARCHI-  
 TECTVRÆ, qua omnia eius studia dirigantur. Nam  
 vt verè dixit Doctor Bonaventura: (*Opusc. de Reductione  
 Artium ad Theologiam*) *Fructus omnium scientiarum est, vt in o-  
 mnibus ÆDIFICETVR fides, honorificetur DEVS, compo-  
 nantur mores, hauriantur consolationes, qua sunt  
 in unione Sponsi & Sponsa.*



B 2

SERMO II.